

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3515

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Cricqueville-en-Auge, Notre-Dame de Royal-Pré, dépendance Val-des-Choues (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1255, avril

Lieu d'émission : Étampes

Action juridique : fondation

Langue du texte : latin

Analyse

Fondation du prieuré Saint-Michel de Bastebourg, de l'ordre du Val-des-Choues, dans le diocèse de Lisieux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 529, p. 93-94.

Dissertation critique

Saint-Michel de Basdebourg est ancien nom du prieuré Notre-Dame de Royal-Pré à Cricqueville-en-Auge.

Texte établi d'après a

In nomine, etc. Notum, etc. quod cum religiosi viri fratres Sancti Michaelis de Bastebort, Lexoviensis diocesis, ordinis Vallis Caulium, in ejusdem montis Supercilio tempore sibi habitationem ad serviendum Deo perpetuo elegissent ; et domos construxissent ibidem, ac propter crebro insurgentium tempestatum et ventorum excursus, necnon et alia quedam incommoda, locus ipse, sicut accepimus, penitus ad hoc inutilis et quasi inhabitalis redderetur ; tandem, accedentes ad nos fratres loci ejusdem, nobis humiliter supplicarunt, ut de loco alio sibi misericorditer providere vellemus, in quo debitum divini cultus obsequium redderent bonorum omnium conditori ; nos siquidem benigne compatientes eisdem, ac humilem postulationem eorum pio prosequentes affectu, divine pietatis intuitu, et pro nostre ac inclite recordationis genitoris nostri et genitricis nostre, necnon et aliorum progenitorum nostrorum animarum remedio, totam terram que est inter aquam que dicitur Ancre et montem predictum de Bastebort in longitudine, et inter domum Nicolai Herent et domum Anselli dicti Prepositi in latitudine, tam in terra arabili, quam in pratis, nemoribus et jardinis, continentem videlicet octo acras, que dicuntur Spinetum et Loncloel, et in terra arabili, jardiniis et pratis, triginta duas acras et dimidiam, sicut de mandato nostro mensurate sunt ; donamus et concedimus in puram et perpetuam elemosinam, fratribus ipsis ibidem Domino perpetuo servitutis, ad fundandum et edificandum inibi domum et ecclesiam ordinis memorati ; qui nos loci ipsius petierunt esse fondatores precipuos et patronos. Preterea, ut fratres ipsi reportent ampliorem gratiam, ea que sibi a quibuscumque nostre potestatis fidelibus in elemosinam hactenus sunt collata, liberaliter eis habenda et pacifice possidenda concedimus, et ea auctoritate regia confirmamus. Et has quidem donationem, concessionem et confirmationem predictas ratas esse volumus in futurum, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato fecimus

communiri. Actum Stampis, anno incarnationis dominice M^o CC^o L^o V^o, mense Aprili regni vero nostri XXIX,
astantibus in palatio quorum nomina supposita sunt et signa : dapifero nullo ; buticulario nullo ; signum Alfonsi
camerarii ; signum Egidii constabularii. Data, vacante cancellaria.